



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De suspensione mentis in Deum. Cap XX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)



*De suspensione mentis in Deum.*

## CAP. XX.

**S**EPTIMUM est, mentem semper habere ad Deum suspensam, orando, cogitando, recordando, meditando, legendo, attendendo, ac bona contemplando. Vnde quodcumque seruus Dei vel ad modicum Dei non meminit, contremiscit & dolet, quasi grauer offendit, tanti amici defraudatus intuitu, qui nostri nunquam obliuiscitur. Cum summa beatitudo & gloria consistat in iugi visione Dei, huiusmodi beatitudinis imitatio quædam est iugis memoria Dei. Ista est meritum, sed illa præmium. Quamdiu illum videre non possumus præsentibus, saltem memoremur eius absentibus: tanto quisque lætiùs & pleniùs eum videbit in patria, quanto frequentius & deuotius eius meminerit in hoc exilio. Vnde Psalmista dicit: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, &c. Nectantum in otio, sed etiam in occupationibus eius esse debemus memores, imitatione sanctorum Angelorum, qui missi in ministerium nostrum sic exteriora disponunt, vt tamen ab intimis nunquam recedant. Quanto cælum amplius est quam terra, tanto spiritualis meditatio & contemplatio latiores habet materias & vias, quam cogitatio terrenorum. Quales autem sint istæ viæ vel materiæ, & quales profectus & processus meditando & intuendo spiritualia, non est huius temporis vel materiæ: sed istud pertinet ad septimum spiritualis vitæ processum, qui in sapientia versatur.

VII.  
Exercit.  
Mentem  
habere in  
Deum  
suspensam

Psal. 15, 2

Mat. 13,  
19.

R

Sei